

I. N. D. J. C.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> PHILOSOPHICA

De

FORTITUDINE.

Quam

Cum adprobatione

Amplissimæ Facult. Philosophicæ,

In

REGIA ACADEMIA ABOENSIS,

P RÆS I D S

Viro Amplissimo & Praeclarissimo,

DN. ERICO FALANDRO,

Hebr. & Græc. Ling. Prof. Publ. & Ord.

& Academiz h. t.

R E C T O R E M A G N I F I C O

Pro Gradu Magisterij

Candidæ eruditorum censuræ submittit

P E T R U S A. L A C O N I U S

Wex: Smolandus.

Aug<sup>usti</sup>

In Auditorio Max. ad diem 29<sup>th</sup> Julij,

Anni 1681.

---

Excusa à Joh. WALDIO, Reg. Univ.

Aboensi, Typogr.

*Reverendissimo in Christo Patri et Domino,*  
**DN. M. JONÆ SCHARINIO,**  
Diœc. Wex: Episcopo longè dignissimo,  
Consistorij ibidem Praesidi amplissimo, Gy-  
mnasiique Ephoro; promotori meo indubi-  
tatissimo, devotâ mente & obsequioso ani-  
mo æternum suspiciendo.

*Admodum Reverendo & Praeclarissimo,*  
**DN. M. JONÆ ZEPHYRINO,**  
Civitatis Wexionensis Pastori meritissimo,  
Consist. Eccles. Seniori, Diœcesis Archi-  
præposito, promotori summè devene-  
rando.

*Pl. Reverendis & Clarissimis Dominis:*  
**DN. M. PETRO PLATINO,** in Reg.  
Gymnasio Wexionens. S.S. Theol. Lectori  
primario, Consistorijq; Adseffori laudatissi-  
mo, Mecænati & fautori multis nomi-  
nibus honorando.

**DN. M. SVENONI FAGELINO,**  
Pastori in Ryðby vigilantissimo, & in ter-  
ritorio Austroburgensi præposito accura-  
tissimo, fautori & evergetæ honoris & ob-  
servantie cultu prosequendo.

*Pl. Rev. & Clariss. Viru, in praedicto Gy-  
mnas. S.S. Theol. & Philos. Lectoribus So-  
lertiſſimis, Consistorijq; Adſefforibus com-  
mendatissimis, promotoribus & fautoribus  
perpetuâ animi obſervantiâ colendis.*

**Q**uotiescumque considero, Mecenatesq;  
Paironi, saevissimas bellorum procellas,  
qua muleos annos quodam veluti asta  
patriam nostram concusserant, turbaverant, ro-  
ties praesagis animis, hafce nebulas peccata no-  
stra promeruisse, nec immoritò. Hoc enim chivie  
rite estimantes lacrymae jure oboriantur, dum  
consideraverint, strepitū armorū quasi fulmen  
conflasse, & apud nos validō fragore ita deto-  
nuisse, ut hostes in grandinis modum densa  
tela faderint. Sed, cheu, quo malā etiam hoc  
anno audiuntur! dum pagi, in modo integræ Civili-  
tates incendio exhaustæ nunciantur. hoc verò  
aliud quid denotat, quam quòd est signum ira  
divina? miseria proinde hujus Civitatis non in-  
dolescere quis potest? quā ignis nuper tam acri-  
ter corripuit, inq; omnes fermè ades tam late-  
fudit incendiū, ut neg; imbribus, neg; aquis flu-  
vialibus extingui posset. hinc tristis facies ejus-  
tantium, erat totaq; Urbe discurrantium libe-  
rorum, ut solet, & faminarum, qui neg; sibi  
neg; alijs consulere poterant, sed, quid vita-  
rent, quidve peterent, ambiguae, complere vias  
sterniq; per agros ceperant, in rerum eventum  
intenta. quid dicam de Templo, per multis  
regiones celebri, jamq; igne ita consumto, ut  
longò tempore non resurgat. huic, huic, inquam  
hostis pepescit, ignis verò illud fædavit, ô pæ-

pax peccati! Verum inter has perturbatib.  
mes verum gratulandum tamen est, quod Reg.  
hoc Atheneum sing. Dei clementia, contra ma-  
lorum voluntatem, servatum sit. Hoc patto  
ostendit Deus, studia omni statui in R. p. nece-  
faria esse. Inter gratulantium proinde nu-  
merum & ego existo, dum mibi, post specimina  
aliquot in examinibus edita, ab Ampl. Facult.  
injunctum est disputationem elaborare, meq;  
Deus tam benigno oculo aspexit, ut exercitium  
hoc in Reg. Universitate defendere mibi conces-  
sum. Quod vestris nominibus, Mecenates &  
Patroni propensiissimi, inscribere ausus eram,  
vilitate quidem munera deturbatus, aucto vestro  
solito favore fatus, vos non cencum quid, sed  
quo animo offertur, gnaviter delibenturos, o-  
mnem bestationem abjeci. Hasce itaq; pagella ad  
yuleum vestrum serenum subire permittaris,  
m: hq; in curbido hoc seculo sequioris fortuna  
imperii sepe jactato, singularem favorem  
porrigatis, obnixè oro obtestorg; qui ero

Reverendissimi Patris,  
Tuz Adm: Reverend. Dignitatis,  
Vestrarumq; Pl. Reverend. Claritatum,

Humillimus & officio-  
fissimus cultor  
P. LAONIUS.  
Auctor & Resp.

Σὺν Θεῷ τῷ Τελομεγίσῳ.

THESES I.

**S**um Fortitudinis egestas.

**V**irtus & virtutis, non solum  
fuisse ante, sed post lapsum  
generis humani, multis probare  
argumentis, operat & pretium non  
luximus, cum id loquatur Historia,  
confirmat doctissimo prosternit  
exempla Bellica & Togata, Græ-  
corum, Romanorum, & Svecorum,  
ut notum est. Quid ergo manifestae  
experiencia obnitionem? Et si prin-  
cipia virtutum moralium omnium  
in universum hominibus conge-  
nita, quarum specula luculentissi-  
ma nulli unquam aetati defuere,  
certò demonstrantur, & homo-  
liarum virtutum naturæ pro-  
ensione capax est, quid obstat,  
ut fortitudo in mortalibus ad  
uc vigeat? Hinc multi non du-

bitarunt, huic primum inter cæ-  
teras virtutes assignare locum:  
hæc enim circa omnium difficil.

*Conf.* lima versatur, ut in conservanda  
*Magis.* religione, in propulsandis ho-  
*Com-* stibus, & iis defendendis, qui nobis  
*mene.* sunt charissimi, hæc quat. virtus,  
*Erbic.* nulli noxia est, dummodo tolla-  
*P. 23.* tur ut sonat canon, abusus, &  
maneat rei verus usus.

### THES. II.

Quumque omni fermè tempo-  
re mos obtinuit, ut ij, qvibus ar-  
gumentum aliquid elaborare vo-  
lupe fuit, si modo fausto omne  
progredi, inque nullam partem  
a proposito deviare cupiant iu-  
rei susceptæ tractatione, mox vo-  
cum in ipsa occurrentium am-  
biguitatibus amoliendis, primam  
impendant curam; horum E. ve-  
stigiis insistentes, terminū opta-  
tum fausto conamine Attinger-  
conemur. A Fortitudinis autem  
Etymologiâ nobis initium fiet  
quæ potius à ferendo, quam pla-

gas inferendo, vel feriendo dici *g.* Erbo  
potest, ut monet Arist. quorum *cap. gr.*  
illud audax potest, hoc vero  
minime cum magis interius cō  
animi habitus requiratur.

**THES. III.**

Proximum est, ut variam Forti-  
tudinis acceptiōē attendamus,  
cum ab Authoribus eam in alio  
& alio significatu adhiberi mani-  
festum sit. Sumitur itaque vo-  
cabulum Fortis: variè (*a*) pro Tryg-  
onem quorumlibet periculo-  
rū, quomodo in malis & pessimis  
est. discernenda proinde est For-  
tit. vera à speciebus notis; quod  
fiet, ubi objectum & finis patent.  
(*B*) Pro corporis robore; sic di-  
citur Hercules fuisse fortis, sic  
Milo, si historiis fides habenda,  
qui taurum stantem, non solum  
loco movere, sed, quod vellat,  
gestare poterat. ita brutis tribui-  
tur, quæ rāmen ferocia potius,  
quam fortitudo dicitur. (*C*) Im-  
propriissime pro celeritate & for-  
phor.  
Exerc.  
Ethic.  
pag. 630

mositate, (d) pro continentia, &  
Lib. i. temperantiâ; Sic Plato: majori  
de Leg. inquit, fortitudine opus est ad  
Conf. voluptatē vincendam, quām do-  
el Hor. lorcā. Maximè propriè forti-  
nej. p. tudo illa dicitur quæ circa fidu-  
363. ciam & metum versatur, id ei  
confidenti & intrepido animi  
esse docet.

#### THES. IV.

Supereft, ut paucis Synonymi-  
vocis dispiciamus, quæ apud au-  
ctores colligi Solent: dicitur alii  
Græcis ἀνδρεία ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, à viro  
quòd in viris maximè reperiatur  
sic quidam virtutem derivant à vi-  
ro, quòd ab eo cui natura majora  
ut plurimum dotes contulit, ma-  
gis exigatur: ita nostratisbus,  
Man/ Manhaftigheet. Verū  
heic multos mihi Obstrepere scie-  
præsertim quòd multæ feminae  
ob fortitudinem, immortalis glo-  
riâ posteris relictâ, hujus etiam  
virtutis æque videantur capaces  
quod ratio s'aderet, &c exempli

De

Deboræ, matris septem filiorum *Jud. 4.*  
Judithæ, Estheræ, Semiramidis, *2. Macc.*  
Amazonum, aliarumq; abunde te- 7.  
stantur; Hic tamen observa, deno-  
minationem fieri à posteriori, quod  
maxime digna virtus sit sexu vi-  
rili, & in eo frequentius quam  
in muliebri reperiatur. præterea,  
quoniam duo maxima fortitudo  
in homine agit, debilitatem sci- *Paralid.*  
licet ex animo expellendo, & ani- *part. 5.*  
mi magnitudinem efficiendo;  
proinde ad suas actiones requirit  
temperamentum calidius, cor spi-  
rituosius & compactius, quâ con-  
stitutione fæminæ raro excellunt;  
non tamen mulieres planè & in  
totum hic excluduntur.

THESS. V.

Postquam ita vocis Originem  
& variam ejus significationem,  
quâ fieri potuit brevitate discussi-  
mus, tales subiungimus defini-  
tionem: *Fortitudo est virtus moralis,*  
*mediocritatem servans circa metum*  
*& fiduciam, honestatis & publicae utili- i*  
*tatis gratiæ.* De-

## THESS. VI.

Definitio resolvitur in Genus  
& differentiam. Generis loco vir-  
tutem posuimus; differentia peti-  
tur à causa formalí, quæ medio-  
critas audit. Cum v. in medio-  
critate alias etiam virtutes con-  
veniant, ideo, ad ulteriorem di-  
stinctionem, deducitur differen-  
*Conf.* tia et jam ab obiecto interno quo  
*Sens.* denotatur per Affectus, metum se-  
*Anstir.* & confidentiam; & exerno ut sunt  
*Erbie. l.* Formidabilia sive φοβερὰ quæ  
*q. cap. 1.* terrorem incutiunt.

## THESS. VII.

Hæc terribilia duplicita sunt ge-  
neris. Quædam enim sunt ὑπὲ  
ἄνθρωπος, ut pote terræ motus,  
inundationes, fulmina, dæmo-  
num illusiones, eaque quæ supra  
hominis constantiam posita sunt  
vir fortis, ut homo, metuit, aliter  
*Anist.* enim facere signum esset homi-  
*cap. 7.* nis stupidi & insani; talis Xerxes  
*rexe. ps* *Herod.* Cultritia, dum in Græciam trans-  
*lib. 9.* iecas in Hellesponium compedes

init-

iniceret & eum verberari jubere. Vir proinde fortis in periculis erit impavidus, sed ut homo, non autem ut brutum, lapis & truncus, in quibus nullus est intellectus, & omnia temere non adeat, sed tantum honesta, magnō consilio & ratione. quid? quod potius sit fugere si extra Reip. & damnatum fiat, quam inconsideratē periculis se exponere. Quædam vero sunt καὶ ἀνθρώποι, quorum quedam semper metuenda & fugiend. ut scelera omnis generis eorumque pœnæ; quedam indifferenter se habent, formidandæ si nostrâ culpâ nobis contingant, sin minus, excelsō animo ferendæ; ut paupertas, morbus, orbitas, infamia, plagæ. sed hæc materia fortitudinis primaria non sunt. infamiam enim rectè metuit optimus quisque, Paupertas, plaga, et si semper metuenda non sunt, fortis tamen statim non est, qui ista non me-

quit; cum malefici supplicia intre-  
pidè quandoque adeant, plagas  
etiam nequam servi contemnunt;

*Arist.* fortes tamen principaliter non sunt.

*Etb.* Morbos verò & calamitates ma-

*rex. 88.* gno animo tolerare, et si fortitu-  
conf.

*Horn.* dini affine est, fortitudinis tamē

*I. 3. 6. 5.* primò & propriè non est.

### THESS. VIII.

Maximè a. virfortis circa rem  
omnium horribilissimam mortem  
scilicet Bellicam honestissimam &  
pulcherrimam, ut proprium &  
primar. objectum versatur, quæ  
pro defensione patriæ, pro aris  
& focis, religione, verbo tant.  
pro lege & Grege appetitur. Hac

*Arist. 3.* morte nihil est terribilius, cum

*Etb.* sit ultimum vitæ, omniumque

*cap. 6.* mundi bonorum privatio. Hinc

felices à Scriptoribus prædicant-

*vid.* tur, quibus contigit hoc modo

*Inst. 1. 6* mori; unde Cicero : O fortuna-

*c. 8. &* la mors que naturæ debitis pro pa-

*Waler.* tria potissimum est reddire. hæc

*M. 1. 2.* considerans Epaminondas, veluti

gra-

gratulabundus patrīz exspiravit.  
Non tamen mors omnis hic per-  
tinet, quam vel in mari tempe-  
stas, vel morbi vis adfert, quo-  
niam in ea huic virtuti & ejus  
præclaris factis locus adeò non  
sit. Vir quidem fortis mortem  
non recusat, ita tamen ut morte  
suā de multis præclarè mereatur.  
Hinc Æneas naufragium metuens,  
inverba querula porupit :

----- Oterḡ, quaterḡ, beati, Virgil.  
Quæ ante ora patrum, Troja sub me- Æneid.  
nibus altis, l. i. p. m.

Contigit oppetere ; 103.

Tantum de Objecto speciali.

### THES. IX.

**G**enerale objectum est vel prim. vel secundarium. Illud  
jā φόβοςχε constituunt, de quibus  
actum est, hoc ἡρραλλέα fiduci-  
alis, hoc est, omnia, quæ requi-  
runtanimi confidentiam, ut præ-  
cipui labores, molestiz, vigiliz  
&c: quibus fæpè resistendum est,  
circa prius v. fortitudo magis

*versatur. Nam omnes hæ actio-*  
*nes, quamvis sint molestæ, vo-*  
*luptatem tamen capit vir fortis*  
*præcipuam respectu finis, qui est*  
*honestas & patriæ salus; lices-*  
*ratione Objecti fortitudo bellica*  
*etiam versetur circa fiducialia,*  
*omnes enim abeunt in bellum,*  
*spe victoria, nemo ut cedatur,*  
*nisi secundariò & exequatur.*

*Clas.*  
*Wen-*  
*deleri*  
*Phil.*  
*Præct.*  
*cap. 4.*

*Exe. A.*  
*Kemp.*  
*Phil.*  
*moral.*  
*cap. 6.*

### THESS. X.

*Causa finalis, ut in virtutibus*  
*reliquis, ita & hic, honestas, quæ est*  
*anima virtutis omnis, qui autem*  
*vel luci causa, vel spe honoris*  
*& prædæ, duriuscula aggrediun-*  
*tur, ad scopum alium collimant,*  
*& inordinati finis circumstantiæ*  
*peccant.*

### THESS. XI.

*Exposita sic definitione Fortit-*  
*tiam nominali, quam reali, ipsa*  
*divisio nobis occurrit, quâ in Te-*  
*gatam & Bellicam securi sole-*  
*Hæc autem ab alterâ differt, (1)*  
*Objectis, hæc enim circa mortem*  
*bel-*

bellicam impotenteritè obeundam, versatur ; illa in rebus adversis, extra bellum, magnò animo superandis & tolerandis, vel in foro vel curiâ exilio, persecutionibus, immò ipsam morte occupatur, & non minus in togâ animi desideratur magnitudo, quam sago & bellonâ fervente, hinc multi eam præferunt. 2. *Subjectis.*  
sepè n. fortitudine excellunt bellicâ, qui togatâ non item. *Fortis* vid. Alexand. fortis Cicero, sed diversâ vendicâ fortitudinis specie; ille in bello, *lin. Ph.* hic foro & curiâ, dum *Casilina* morat. furoribus non tantum fortiter se l. 1. c. 13. opposuit, sed capropter à Clodio ejusque complicibus exilio mulctatus, novercantis fortunæ injuriæ fortiter sustinebat. His annumerantur *Martyres*, qui pro confessione veri numinis, acerbissimos cruciatus & mortem ipsam sustinent, indeque fortitudinis laudem merentur.

*For-*

## THES. XII.

Fortitudo apparet, quæ à vera  
FINE differt ( circa illam c-  
nīm aliqui adiguntur ad pericula  
adeunda, non honestatis, sed  
utilitatis, jucunditatis aut alteri-  
us rei gratiâ ) continet 5. spe-  
cies: quarum prima se offert

Pid. B. Politica, quæ in defensione patriæ,  
Gylleßt. urgentibus legibus, præmiis aut  
Coll. præmis exercetur. Hoc pacto pu-  
Ethic. gnatum est sub Styage contra Sy-  
Diss. 6. ruo, qui parte exercitus à tergo  
Jusfit. posita, mortem ijs, ni vincerent,  
L. L. 6. denunciavit. ita Corcyrei apud  
Thucyd. I. 3. c. 13. horum ve-  
rò virtus conferri cum alterā  
Fortit. nequit, dum non amore  
honestatis, sed metu & necessi-  
tate compelluntur.

## THES. XIII.

Experiens deinde ventilanda  
occurrit, quæ animum addit illis,  
qui antea aliquoties ex ejus-  
modi periculis salvi evaserunt;  
hæc alias ῥγανωλη̄ audit, quod  
præ-

præcipue conspicitur in veteranis  
& exercitatis militibus. Verum  
licet initio pugnæ, prompti ac stre- *Tbus-*  
nui apparent, cognita tamen pe- *eyd. I.5.*  
riculi magnitudine, & successu  
opinioni non respondente, in  
fugam effusi, cæteris, qui ut  
turpitudinem effugiant, ad mor-  
tem usque perdurant, deteriores  
sæpè existunt. Neque tamen  
fortitudo planè est sine experi-  
entiâ, quod heic non intendo;  
sunt enim fortis bello, consiliis *Magir.*  
validi, & ut secernenda ab hac *Coron.*  
temeritas, sic conjungenda cum *Virt.*  
mente. *I.3. c.8.*

#### THES. XIV.

Tertia Species *Iracundia* audit,  
quæ sæpè facit, ut inermes arma-  
tos adoriantur, namque pugnaces  
audaculi & temerarii, qui iræ fu-  
tore & vindictæ cupiditate saltim  
accensi, pericula intrepidè adeunt,  
fortes revera non sunt, vera enim  
fortitudo non est, nisi in bonis  
& prudentib. Hæc autem etiam

in malis & stultis Virtus præterea  
ex electione agit ratione & pro-  
pter honestatem; quæ quomodo  
in iracundo inveniuntur, non

*Vid.* video. Exempla hujus generis plu-  
*Floru*s rim alegantur apud Auctores; seu  
*I. 2. 15.* de Carthaginieosibus medium  
*Justin.* quasi in mortem irruentibus, Loc.  
*I. 20. 3.* crens. & Persis &c. Sed dices? Ira  
*Curt.* tamen est eos fortitudinis? Amba-  
*I. 5. 4.* bus manibus concedo, quod ma-  
ximum ad pericula subeunda est  
incitementum, modo tamen  
ratione & honestatis studio du-  
catur, inque excessum non abeat.

### THESS. XV.

Quarta species fortitudinis,  
propter spem, dicitur animositas  
in adeundis periculis, excitata  
propter speciem evasionis aut victo-  
rie, verum hanc longè à fortitu-  
*Gol. xv.* dine esse sic demonstro (α) in  
*moral.* verâ fortitudine, spes à bonitate  
*I. 3. c. 8.* causæ & rectâ conscientiâ profi-  
ciscitur; in hac autem omnis fi-  
ducia in externis præfidiis con-  
sistit,

ſitūr, ἔπειτα δὲ πολέμοντες καὶ σύμμαχοι  
σκόπευοι (β) vir fortis, tam præ-  
visa, quam repentina pericu-  
la ſubit, cum ſpe fortes ſaltim  
prævifa adeant; cum tamen ma-  
jor in repentinis, quām prævifis  
periculis fortitudo ſita ſit, & ita  
ſpe cadentes, animo & clypeo  
abieciō fugam turpiter caper-  
funt. (γ) Fortes ad mortem  
usque conſtantiam ſervant; bi-  
verò ſpe & auxiliis deſtituti,  
animum deſpondent. Inter  
hos numerari poſſunt iij, qui dia-  
bolicis artibus ſtuporem indu-  
cunt membris, ne aut in bello  
vulnerentur, aut ullum ex iče  
dolorem ſentiant; cum tamen  
medicamenta nulla ſint quæ  
Paſſiones corporum naturales  
avertere poſſunt, ne que in po-  
ſtate humana ſicut ſit nihil da-  
lere; hic enim eſſet ἀράδηζες,  
omni ſenu deſtitutus & impius,  
unde prohibuit Deus, ne eſſent  
inter populum ejus maleſici in-  
can-

Dense

18. 19.

Vid.

Anno:

D.OF-

andei.

incantatores, &c. satius est mor-  
tem honestam opperere, quam  
hujusmodi remediis vitam com-  
parare, cum alias præmium au-  
ferant à Diabolo maturum, ut  
exempla dolenda demonstrant.

### THESS. XVI.

Ultima species propter igno-  
rantiam, est animositas in adeundis  
Periculis ex periculi ignorantia  
profecta, qua Tyrones & Novitiij  
plerūq; gaudent, qui periculi ma-  
gnitudinem ignorantes, bellum  
dulce putant. Tale exempl. habe-  
m⁹ de Argivis contra Lacedæmo-  
nios pugnantibus, qui censebantil-  
los Sicyonios esse quos sapè antea  
*Ad his* vicerant, re autem animadversa  
*D. Ditz* Lacedæmonios esse, in pedes sele-  
mars. protinus conjecterunt. bioc pro-  
System. verbum natum: Dulce bellum in-  
Ethic. expertis.  
I. 3. Ex. 3

### THESS XVII.

Sicut cæteris, ita & huic vir-  
tuti sui hostes, sua extrema. Hinc  
scopuli utrinque hi caverdi;

Aud

*Audacia* scilicet in excessu; *Timi-* D. Lie-  
*ditas & ignavia* in defectu. Quæ bentb.  
hic non pro affectibus natura- Coll.  
libus sumuntur; haec enim ratio- Etb. Ex;  
ne non extrema, sed virtutis sunt 6.  
objectum, Sed pro habitibus vi-  
tiosis. *Audacia* vitio obnoxius  
erat A. Magnus, dum rem ausus  
incredibilem, magisq; ad famam  
temeritatis, quam gloriæ insi-  
gnem, in urbem hostium plenam  
precipitem se immitteret. Tales Eliam.  
erant *Celtae*, qui prælium inive- Var.  
runt cum fluctibus marinis, prius bisi.  
aquâ obruti, quam in fugam ver- l. 12.  
si. Optimi proinde imperatores Conf.  
tantam temeritatem acerrimè pu- pred.  
niciunt. Cl. Hor.  
P. 384.

### THES. XVIII.

*Ignaviæ & timiditatis ex-* Justin.  
*empl. fuit Sardanapalus, qui se suaq;* l. 1. c. 3.  
*in incendium mittere, quam cum*  
*hoste congregdi maluit. Timidus*  
*Pisander, qui, nè umbram suam*  
*mortuus videret, metuit. Timidi*  
*omnes ἀνέχειτες, qui nullo præ-*

textu excusari queunt, præsertim  
cum ex proposito vitam suam ab-  
breviaverint; In casu enim ta-  
li deest Fortitudinis objectum,  
mors scilicet honesta & bellica,  
Peccant præterea contra jus Di-  
vinum, *non occides*; & humanum,  
Nemo est Dominus suorum mem-  
brorum.

### THESES. XIX.

Obiter etiam notandum, Timi-  
dum, Audacem & Fortem, idem  
habere objectum; versantur enim  
circa formidabilia, & fiducialia;  
non tamen *esset modus*. Timidus  
omnia metuit, & spe destituitur;  
Fortis tandem servat, & ducitur  
honestate; Audax ante pericu-  
lum est promptus, solus quasi o-  
mnem velit impetum periculo-  
rum sustinere, cum vero ad pu-  
gnam ventum sit, primus resilit,  
animum cum armis abjiciens. E-  
virg. *jusmodi Mars est in lingua ven-*  
*Lib. 12. tolá & pedibus fugacibus.* Fortes  
vero sunt taciti & quieti, non an-  
te tem-

et tempus sibi victoriam pollicen-  
tes, quia uorunt Martem esse du-  
pium & fortunam belli variam,  
neq; desistunt, nisi aut gloriose  
vincunt aut occumbunt. Et hæc  
ad fortitudinis declarationem;  
nunc quæstiones circa eandem  
reviter decidendæ.

### DISQVISITIO I.

In per Fortitudinem duello congregari  
liceat?

Perversitatem Seculi ita nunc  
valuisse videmus, ut à mediocri-  
tate quam omnes jure divino & na-  
turali sibi præscriptâ, servare tene-  
ntur mortales, tanto intervallo  
eclinent, ut raro dentur, qui eam  
quentes, in excessum vel dese-  
sum non abeant; Inter hos meri-  
tō numeratur illi, qui uno alteroq;  
vi verbo se ita laſos esse existi-  
ant, ut mox ad duella ruant (qua-  
res aliter ope Magistratus com-  
oni non posset): onitrua vibrent,  
gravitatem suæ personæ exagge-  
rant, ignem ex naribus spirent, &

vitæ lusæ aut alterius telam mis-  
rè abscondant! Quàm verò lon-  
*Vid.* gè à Fort. remouuntur, testantu-  
*Lev. 19.* Cordati. Non enim verbo De-  
18. non rectâ ratione, non legibu-  
*Mattb.* publicis, non Magistratus ductu-  
s. 43. sed solâ insanâ, Belluarum insta-  
*Confel.* efferati, blasphemias despumant  
*Iter*  
*Syn: l.* Hinc mirum non est, quod rem  
g. c. 2. ut dictu fædam, visu horrendam  
pijsq; detestabilem, execrarentur  
multi. Ut vero omnis ansa ca-  
villandi Adversantibus præcida-  
*Med.* tur, dist. Inter singularem in V.  
*Freidl.* T. ad certum facinus instinctum,  
*in s.* Exemplo Davidis cum Goliatho  
*præc.* congradientis: & exvili causâ ab-  
ominandum abusum. Vel inter  
Monomachiam laudabilem & vi-  
tuperabilem, illa ex animo Divi-  
*Vid.* na gloriæ illustrandæ, & boni pu-  
*Wende-* blici promovendi cupido, prove-  
*léri pol.* nit, præcipue si auctoritate publi-  
c. 2. q. 1. cæ fulciatur; Hæc vero ex solâ vin-  
*Liebēt.* dictæ prurigine nata, & hactenus  
*aliosq;* depicta. prior certâ ratione salvari  
potest,

potest, licet semper non condu-  
cat, cum nonnunquam vincat ro-  
bustior, & salus Reipublicæ in ma-  
ximum adducatur periculum. Po-  
sterior vero nequaquam. At  
regeris: Honestum est famam tu-  
eri, quam negligens crudelis est;  
*honor namq<sub>ue</sub> seu fama & vita pari  
passu ambulare.* Observa tamen *Reip.*  
quod existimatio vel fama scom-  
matibus & petulantis alicujus pro-  
vocatione non læditur. Verissi-  
mum enim est hoc: *Quod infa-  
mia non aliunde, quam ex propriâ tur-  
pitudine oriatur.* Deinde vita Ad-  
versario ademta reparari non  
potest, fama vero potest. Hinc  
sancto iustitio leges & judicia in  
Rep. constituta, nè quisquam pri-  
vato ausu sibi vindictam sumat:  
& nunquam sanè tutastaret *Resp.*  
si quoties quis injuriā afficitur, in-  
tegrum ei fuerit, injuriantem ad  
ad arma provocare & contra ho-  
nestas leges *Reip.* & sanum con-  
scium suum Magistratus, Rem.

pub. Cive Spoliare. Vir itaq; fo-  
gleid. tis, salvâ existimatione, duellu-  
l. 6. p. 12. reculare potest. Ita laudatur Ce-  
rolus V. quod Francisco Gall. Re-  
gi non comparuerit. Addo  
hoc, quod non animi ignavi ei-  
se provocanti statim non siste-  
Nomen enim Forfitudinis ven-  
mereri cupiens, nihil faciet, ni  
quod recta ratio, quod leges, Ma-  
*Keck.*  
*Syß.*  
*pol. 1. 1.* Diaboli inventum audit, nec ali-  
*cap. 22.* ter ab Heidero prædicatur, nec  
*vid. phi-* sine causâ; ejusmodi enim ag-  
*tos mor.* grediuntur periculum æternæ da-  
*part. 2.* mnationis, ni singulari Dei gra-  
*P. 437.* tiâ præveniantur; potissimum  
dum temerariè, cum summo ira-  
cundiæ fervore, vel ebrietate pro-  
fundâ, congressus talis contigerit.  
Heic tamen accuratè notandum,  
quod duellum private tum lici-  
tum est, cum illi præter jus & fas,  
manifesta inferatur vis, quam aliâ  
ratione nequam evitare potest,  
qua

quæ aliæ à Ictis, moderamen inculpatæ tutelæ, nominari adsolet.

DISQVIS: II.

*Utrum citra lastionem Fortit. Strata-  
gemmatibus uti liceat?*

Nobilis & satis ardua est que-  
stio, quæ à Doctissimis viris in u-  
tramq; partem disputari solet. In  
negantum autem castra transe-  
untes primò audiamus. Dicunt

(α) quod bâc ratione videatur *Lipf. 5.*  
quis proximum suum fallere, & i *pol. 4.17*  
ta dolus, fide exulante, irrepit,  
(β) huic sententiæ applaudens *Lib. 13.*  
Polybius: quidam, ait, populi in-  
tantum abhorrebat à machina-  
tionibus & dolis struendis, ut nec  
hostes suos vellent per fraudem  
vincere, censentes neq; splendidā  
neq; firmam ullam victoriam, ni-  
si quis palam ex condito depug-  
nans, animos quoq; deieccisset ad-  
versariorum. (γ) · hoc alludit *Florm*  
tentia aurea: Eam vir sapiens & *l. 1. c. 12.*  
Sanctus veram sciat esse victori- *P. m. 12.*  
am, quæ salvâ fide & integra di-

*Curt.l.* gnitate paratur. Ita orbis fermè  
q.c.13. domitor Alexander : Palam ag-  
gredi certum est. Hinc Cicero  
*Lib.1.* Nemo qui fortitudinis gloriam  
*Off.* consecutus est, insidiis & malitiis  
laudem est adeptus, nihil enim ho-  
nestum est, quod justitiae vacat.  
Ita ab hac parte acies satis parata  
est ; cuius proinde turmæ an no-  
stra jungenda vexilla? ita habe:  
speciosè magis, quam verè hæc  
dicta esse, cum quædam fraudum  
genera concessa indubitatò scia-  
mus. (1) Si enim hostem, qui ex-  
tremæ meritus est supplicia, fas sit  
perdere, spoliare, occidere, nil in-  
tererit, aperte id fiat, an non.  
quid? quod natura jubet, ut nos  
quibuscunq; armis defendamus;  
fraus vero est instar armorum (2)  
Sæpe etiam necessitas, quæ lege  
caret, postulat insidias, cum ho-  
stes nostri sint potentiores, & ad-  
paratu bellico instructiores. (3)  
Tutius esse dolo, quām aperte  
hostem vincere quis iguorat? Et-  
enim

enim multorum hominum san-  
gvinem pro fundere, regiones va-  
stare, civitates incendiis delere, o-  
mnia bellum apertum conseque-  
tur (4) Nobis sacra exempla etiam *Jos.* 8. 2  
suffavent. Josua enim civibus Haij 2. *Sam.*  
ex mandato Dei, insidias struxit, *s. 23.*  
ubi insidiis locatis, alij hoste laces. *Judit.*  
sitō terga verterent, fugam simu- *cap. 3.*  
lantes; hostes vero effusō se-  
quentes agmine, extra mænia  
urbis tandem deleti sunt. Ex-  
empla sim. apud auctores pro- *vid.*  
stant. (5) addo & hoc, quod do- *Curt.*  
Ius sit licitus, si à Rep. à justo Magi- *I. 9. 8.*  
stratu mandatus, si justā in causā *Just. I.*  
& justo bello. Sententia *Poly-*  
*bii* & aliorum superius allata, sic  
hinc nostris conciliari possunt,  
quod stratagemmata à quibusdam  
repudientur, non tam ob inju-  
sticiæ opinionem, quam ob exi-  
giam quandam animi celsitudi-  
nem, quam præ se tulerant, in-  
terdum & ob virium fiduciam.  
Ad dictum *Flori* respond. dist.  
cum

cum accuratissimis Polticis, inter  
fraudem, quæ fidem frangit, &  
quæ fidem non attingit. illa est  
illicita, hæc in bello permissa. ex  
quo Græci accusantur, dum pa-  
cem simulantes Trojām oceu-  
pant. hinc reliqua dubia discuti  
possunt.

Hæc sunt, candide Lector, quæ  
pro temporis ratione de hæc ma-  
teriâ, adducere animus fuit, teq;  
majorem in modum rogo ut,  
cum *Eonis*, hæc mitiorem in par-  
tem interpreteris, & quæ deside-  
rantur, humanitate suppleas. Te  
v. cavillator, qui aliena semper  
carpis & aliquid laude dignum  
rarò præstas, valere jubemus. Ti-  
bi dictum illud diligenter legen-  
dum tradentes:

*Laudarier à turpibus, infamia vera  
est :*

*Laus est hominis maxima, displicere  
pravit.*

Μόνῳ οὐ Θεῷ οὐ μη καὶ δόξᾳ εἰς τὰς  
ἀιώνας τῶν θεούσων αμήν.

## ADDITAMENTA.

1. Specificam differentiam Ethica Polit. & Oeconomicae docti improbant.
2. Praestat in reverentiam Numinis pro vita a Latrone redimenda, nummorum jaclu- ram facere, quam Sanctissimum Dei nomen indebet usurpare. Cont. Libenthalium.
- 3 Notitiae quedam nobis connoescuntur.
4. Pneumatica cum Metaphysice vel Physica male confunditur.
- 5 Concepimus Spiritus, Spiritui finito & infi- nitis communis est.
6. Iacet Ethnici virtutibus non salventur, Deo tamen illae suo modo placent.

---

**E**υκαίρως τῷ τῆς ἀνδρείας γράψαι ἐπε-  
χείσθοις, καὶ ταύτην Γῆρας αἰρέτην ἡμῖν  
ὑπηρέπειν, Τάῦλης γὰρ μάλιστα οὐ τῷ παρόντε  
λόγον ποιητέον ἡμῖν κακοπαθίσασι τῷ καινῷ τῷ  
διὰ πυρὸς ἀφανισμῷ. πῶς δὲ δεῖ Τάῦλην διαπρά-  
ξασται Γῆρας αἰρέτην Τάῦλη τῇ Διατείχῃ πεπαίδευ-  
μένως ἐπιδείκνυς. αἴτιον γάρ ἐπικινεῖν τὸ Σῦνον  
ερημα, ὃ καὶ ἐνιυχίας περιστύχομαι. Εὔρωσ.

Berexmio Dn. Candidato fautori &  
amico dilecto ita occupatissime  
eius paucis gratulatur.

PRAESES

Ad

VIRUM-JUVENEM

Eximia eruditionis & virtutum corona bipartita,

DN. PETRUM LACONIUM Smol.  
Philosophiae Candidatum, Sympatriam & amicum perdilectum; Pro Gradu Magisterii, De FORTITUDINE, intrepido animo publicè disputantem:

¶ Liacis manūt pugnax Agamemnon  
in armis,  
Fortiter opperiens danda tropæa sibi.  
Multum sudando, veterum de more  
Laconum,  
Verbaque nervosè pauca loquendo  
simul,  
Ingenium monstras placidum, vegetum,  
arma manusq;  
LACONI hinc merito, pulchra bra-  
bæa refers.

L. Mq.

Tantillum licet occupatio  
dedic

ELIAS TIL-LANDS/  
Med. Doct. & Prof.

Peregrinatio ac Praestantissimo

DN. PETRO LA CONIO, Philo-  
sophia Candidato perindustrio, de For-  
titudine solerter disputanti; Amico & fau-  
tori meo ad amando:

UT data sunt Cervis ingentia Cornua  
frustra  
Ni fuerit Virtus animusque in pectore pre-  
sens;  
Sic bene nummali sunt & quos copia dives  
Extulerat; ni sine tam fortes quam arte-  
midorius.

Ut Plutarchus ait. LACONI culte satelles  
Aonidum; monstras que possint fortia facta  
Esse & sic dici, discursu quem satis ample  
Nostra facultas pernovit; Congratulor ausis  
Ergo tuis; cedant felici sidere cuncta  
Quae cæptas! Deus & faciat te vivere  
longum!

L. Mq; quamvis impeditior gra-  
tulabar

Dab. Raptissime  
Aboæ, prid. Cal.  
Julij, An. 1681.

SIMON ZAEPD Aboëns,  
Ph. Pr. & Rat. Prof. Ord.

*Praefantissimo*

**DN. PETRO LACONIO**  
Phil. Candidato meritissimo, Fautori,  
amico & fratri perdilecto, peregrinios in  
Philosophia profectus hoc elegiaco  
gratulatur.

**E**X animo gratulor tibi nunc Doctissime PETRE  
Et Hilari corde prospera queque  
precor.

*ERICUS COLLINUS.*  
*Past. Arc. Aboens.*

---

*VIRO - JUVENI Peregrinio*

**DN. PETRO LACONIO**,  
Philosophiae candidato & a teneris annis  
commilitoni honoratissimo, disputationem  
suam inauguralem edenti, hæc bina  
disticha reliquit.

**H**ostes cum vicit de gentis gloria miles  
Praetor: LACON: fortior hoste tuus.  
Prælia fortis animo tractas ut fortis Achilles,  
Hinc nomen fortis tibi manet atque decus!

*MAGNUS FIORINUS.*

*Philosophie Candidato Perexamis*

DN. PETRO LACONIO,  
Pro gradu Magisterii subtiliter disse-  
renti, Fautor & Sympatriotæ  
honorando

EN mi PETRE tuos compensat rite  
labores,  
Dum caput exornat Pallas amica  
manu.  
Ergo felici viridem mox sydere laurum  
Accipito, & patris haud immemor,  
esto tuæ.

*Sabitō licet, gratulabundus  
tamen scripsit*

PETRUS COLLIANDER  
*Wexionensis.*

